# IANI DOVSÆ NORDOVICIS

AD SVPERIOREM COMMENTARIOLVM SVVM,

*Septem capitum ſuccidanea pro nouiſsima Horatij editione*

Adpendix.




ANTVERPIÆ,
Ex officina Christophori Plantini.
M. D. LXXXII.

Digitized by Google

Digitized by Google

# IANVS DOVSA CHRISTOPH. PLANTINO SVO S. D.



Ic tu,inquis,Horatium conſcribillaſti? Imò, ſi ſcias, quã ex facili omnia, quàm ne molitione quidem minima altera hæc, Venuſinæ lippitudini expenſa,collyriorũ concinnatio conſtiterit nobis: næ tu curioſitatis noſtræ ſucceſſum potius, quàm vel induſtriæ indolẽ, vel lucubratarũ noctiũ patientiam admirere.Sum enim (vt te noſse arbitror) fugitantior laboris plus ſatis:& Lipſianum illud ſcitũ eſt credere; *Muſas oblectandis ingenijs repertas,non cruciandis*. Et verò nos homulli quid ſumus,aut quàm diu hæc curaturi? Clemẽter igitur,& placidè,hoc eſt,animi cauſa, laxãdi inquam potius,quàm laſſandi; & (quod de ſe quoque Auſonius prædicat)

*Otium magis fouentes, quàm ſtudentes gloriæ.*

Quid agas, mi Plantine? eo ego Genio ingenioque ſum natus,

*Mî studia vt, non me studijs submittere curem.*

Adde, quæ altera nobis quasi natura cluit, consuetudinem, quam corroborata iam atq. adulta ætate

*Cur mutem, causæ hercle nihil, Plantine, videtur,*

*Et satis est, pigro si licet esse mihi:*

Neq. ita veternoso tamen, vt ingeniolũ hoc nostrũ incultu vnquã, aut socordia torpescere, situve corrũpi, & quasi rubigine obduci patiamur. Quid? an Præcidaneorũ nostrorũ prolubium oblitus? quæ quidem apud te superiore Vere deposita, tua porrò comitate in ora & manus hominum tandem, tandẽ, peruenire vt possint, haud ego interpres modò, verùm herculè & Catulli & Tibulli ipsius Manes appellare te iam pridem, ac tantũ nõ reflagitare videntur. Ea profectò Doûsam tuum, tum anno, tum horno, potius in libris, quàm conchis legendis deditum fuisse, Editione (vt spero) facilè peruincent sua: neq. ita aut Vacunæ, aut Murciæ sacris operatum, vt non otij, (cuius & Cato reddendam operam putat) potiorem apud te rationem constare voluerit sibi. At quando ea quæso comparitura? Scio equidem te non esse largiloquum

in

in pollicendo, nec Vaniloquidoros istos imitari: *Quos cùm censeas*
*Esse amicos, reperiuntur falsi falsimonijs,*
*Factiosa lingua, ignaua opera, sublesta fide.*
Sed neq. parcipromum esse scio in repræsentando, quod receperis semel. Itaque sustento sedulò, Spe (*quæ omnes res spissas facit*) plusquàm decumana subnixus. quę quô eueniat deniq. in tua porrò, mi Plantine, situm est manu.

*Quanquam ego quid tricor? scribenti litera vênit,*
*Litera Plantini nomine scripta mei;*
*Affectam liquido modò quæ auspicio Editionem,*
*Esse, fidem faciat indiciumq; mihi.*

Affectam dico? Imò verò ad vmbilicum vsq; adductam propemodum.

*Macte: atq;, O mihi nuncij beati.*
*Quid quæris? mihi denuò renatus*
*Nunc demum videor. Valete porrò*
*Morosæ ocius, hincq; vorsum Iberos,*
*Estrices animorum, abite curæ.*
*Vosq; exercita corda habere suetæ*
*AEgrimonia, spes, metus, querelæ*
*Iam facessite. Vt, ô dei, deæq;,*
*Totus gestio, corq; mille onustum*
*Porto lætitijs lubentijsque!*

*Mecum, cumq́; animo meo subinde*
*Versum illum ingeminans Catullianum:*
*Quid me lætius est, beatiúsve?*
*Parua loquor: fingíne aliquid felicius, aut Dîs*
*Esse, Iouiq́; pote ipsi æquiparabilius?*

Angebar enim intimis sensibus, quòd in morbo operas tuas cubitare acceperam. Sed magna Hygeiæ ac Deo Sospitatori gratia, quibus tuorum incolumitas curæ.

*Nimirum timuit nostras Libitina querelas,*
*Quæ par tam magnæ non erat inuidiæ.*

Nemini proinde nunc certum est supplicare, dum quidem operã nobis comitas commodare non grauabitur tua. Quod ipse tum deniq. multò etiam impẽsius persuasum habiturus sum mihi, si modò exemplaribus illis, quæ de Commentariolo nostro Horatiano reliqua etiamnum superant tibi, Succidaneam hãcce quasi Appendicem, sub prioris Editionis illius calcem adiectare porrò atq. adstruere, animum, mi Plantine, induxeris tuum. Quod tametsi mẽse adeò superiori per Lipsium interpretem, etiam per scriptas literas plenè ac planè nobis te ostendisti esse facturum, tamen in re ita negotiosa ac multifor-

tifor-

Digitized by Google

tiformi suspiciosi nescio quid timoris agnosco. Et ignoscas velim properationi huic nostræ, Sallustianum illud subinde ruminans tecum: *Animo cupienti nihil satis festinari*. Quid? *Saturnalia an, optimum dierum*, & quidē Lipsiana, præ foribus adesse non vides? Eô dico, ne nos libertate ista Decēbri, pro priscoQuiritiū iure, vsos atq. abusos mirere, ea obtrudēdo tibi,

*Quæ sulphurato nolit emta ramento*
*Vatiniorum proxeneta fractorum.*
*Cur tamen ista damus, rogitas? vt, cara minus si*
*Lectuto, auctoris ob meritum, fuerint:*
*At præli splendore tui, formisq; probentur;*
*Accedatq; meis à te apinis pretium.*

Etenim, Plantine, quàm sim φιλόκαλος, non ignoras; quamq. rei primùm literariæ in cōmune, tum verò ipse mihi priuatim quoque gaudeā, gratulerq. meritò hercule ac lubentissimè; iudicium ac delectū istum, cum curiosa sanè felicitate coniūctum, politissimis operum tuorū Editionibus magis magisque abs te publicitus adhiberi quotidie.

*Macte animo, quem rarus habet (sic itur ad astra)*
*Macte tuo Genio, propositiq; fide.*

Etsi tua quidē sunt istiusmodi omnia. Qua-

re, ſi ſapies, quantum poteſt, hariolationes has noſtras prælis commendabis tuis. Scis me minimè eſſe blandum. Itaq. verborum ſat eſt, apud te præſertim, cui priſca illa,

*Nudaq; Simplicitas in ſtudio potius,*
*Quàm phaleræ, & pictæ tectoria ſubdola linguæ,*

aut argutiolæ iſtæ, pluſquàm Palatinæ, nugiuendonum noſtratium, nihil ſolidi crepātium. Aueto, noſque amare pergito, per victurum ARCHITYPOGRAPHIÆ tuæ Genium,

*Diuarumq; nouem communia Sacra, rogatus.*

Lugduno Batauorum.

Digitized by Google

# IANI DOVSÆ NORDOVICIS SVCCIDANEA AD NOVISSIMAM Horatij Editionem Appendix. In qua pleræque Auctoritates in ſuperiore Commentariolo prætermiſſæ opportunè ſuis quæq. locis cōciliantur: nonnulla vſque adhuc intentata nunc primitùs in lucem protrahūtur: alia partim aut nebuloſa declarantur, aut corriguntur luxata, aut pravè alioqui affecta medicinam præſentem accipiunt denique.

## CAPVT I.



ENVIS *& anguſta frōtis modū in honore fuiſſe antiquitus*, Arnobiana quoq. ſuffragatione defenſum. Eidem Chriſtianiſſimo Scriptori per cauſam auxilium latum. *Deos patrios* eoſdē planè cum Laribus ac Penatibus habendos. Eam in rem Dionyſio Halicarnaſſæo te-

 ſtimo-

ſtimonium denunciatum. *Omnis ciuitas*, tam, hîc quàm in Prudentio ciuitati Romanę reſtitutum aſſertumque. Mos veteribus Poëtis ſollennis, ingeniorum monumenta vnà cũ imaginum ſuarum forma dedicandi in Bibliothecis publicis. Homines rebus ſuis ac ſaluti diffiſos in exodio vitę caput operire ſolitos, etiam Petronij exemplo confirmatum. Priori enarrationi noſtræ ſuper hoc verſu: *Natales gratè numeras*: ab auctoritate quoque Macrobiana fulcimentum quæſitum repertumque.

DOCVI ſuprà Commentarioli mei Capite 11. veteres Romanos illos ſic habuiſſe, & ita in venuſtatis Legibus poſuiſſe, *tenuem anguſtamq. id eſt, breuem ac modicam frontem ad forma commendationem conducere inprimis*. Teſtes in eam rem, & quidem ſuperſtites feci, certiſſimos hercule ac locupletiſſimos; haud Senecam, aut Petroniũ modò; ſed verò & Martialem & Silium, Lucianum deniq. quos auctoritatem neutiquam defugituros, perſuaſum eſt mihi, ad defenſandum Horatianum illud ex Odis ſcilicet:

*Inſignem tenui fronte Lycorida.*

Item alterum ex Epiſtolarum lib. primo productum: *Nigros anguſta fronte capillos.* contra noſtræ ſanè iuuentutis faſtidia, & (quæ ratio maxima eſt) pluſquàm baſilicam Principis

viri

Digitized by Google

viri Edictionem, qua cōmendatissima istæc *Angusta Frontis tenuitas*, tantùm nō in opprobrium versa ac dehonestamentum faciei. Sed hæc plus satis superq. (vti spero) coaceruatis vndiq. exemplorum struicibus redarguta, ac profligata oppidò. excepto, quòd disertissimo Christiani generis vindici, Arnobio inquam, testimonium id temporis denunciare fuerim oblitus.

*Qui tamen vnus*
*Pro centum poterat millibus esse mihi.*

Neque id adeò iniuria. quippe acerrimus iuxtà ac grauissimus sęculi sui castigator. quo, quamuis inualescente iam inde Christianismo, tantū abest, vt desita, vel abrogata fuerit corrupta hæc gentilium consuetudo, vt etiam limbis insuper, hoc est, tęnijs ac fasciolis quibusdam luxuriātem frontis habitum adstringere, comprimere, modisque omnibus coartare deniq. ne ipsæ quidē matronæ turpe sibi, aut honestati suæ flagitiosum ducerent. Exemplum vide. Id verò lib. 11. aduersus Gentes huiuscemodi verbis conceptum reperitabis:

*Conspiciendis quærerent corporibus fucos, innecterent his colla, laminas pertunderent aurium, imminuerent frontes limbis, fuligine oculos obumbrarent.*

Vbi illud quoque animaduersione nostra nō indignum

dignum occurrit: *Laminis pertunderet aures*; vel certè: *Lacinias pertunderent aurium*: interpolandum videri. vt *Lacinias*, auricularum ansas, hoc est, infimas earum partes interpretemur.

Transgrediamur ad Caput VII. vbi argumentis vicisse me spero, *Lares Latinorum*, siue adeò *Deos Penates*, eosdem esse, quos Θεοὺς πατρῴους indigitant Græci: sed & Romani, ad ipsorum credo exemplum, *Deos patrios*. Cui equidem sententiæ corroborandæ Historicum hocce Dionysij Halicarnassæi suffragium, id loci prætermissum nobis, haud abs re herculè videtur huc infarcire:

Τοὺς δὲ θεοὺς τούτους ῥωμαῖοι μὲν Πενάτας καλοῦσιν, οἱ δ' ἐξερμηνεύοντες εἰς τὴν ἑλλάδα γλῶσσαν τοὔνομα, οἱ μὲν πατρῴους ἀποφαίνουσιν. οἱ δὲ γενεθλίους, εἰσὶ δ' οἳ κτησίους, ἄλλοι δὲ μυχίους, οἱ δ' ἑρκίους: & reliqua quæ sequuntur. Eodem capite receptam in Horatio lectionem adminiculati, ac tutati sumus in Epodis:

*Eamus omnis exsecrata ciuitas.*

Idque altero quodam Poëtæ nostri testimonio producto ex Odis, istiusmodi:

*Non semel dicemus, Iô Triumphe, Ciuitas omnis, &c.*

contra nouitiorum Palæmonũ decreta maximè; qui, *Omnes*, eumpse in locum indignissimè intruserant, Iamborum integritatem claudicante

Spondæo

Spondęo suo valgiter deformare ac contaminare haud reueriti. quanquam ludus hæc ipsa locusq́;, ac tantum non somnia mera meritò videri possint, præut quæ Burrus turbauit nobis, integerrimũ prudentissimi Prudentij locum, Peri Steph. Hymno, vitioso ac Sicambro succo suo incrustare ausus. nam vbi in omnibus Codicibus anteà Horatianum in morē apud Christianissimum Poëtam legere didiceramus:

*Ciuitas omnis pretiosa portans, &c.*

noster ille numerorum exactor elegans Culpæ notam Prudentiano Carmini adpingere nō dubitauit: atque eius vicem insignitum hoc suum:

*Ciuitas quæque pretiosa portans, &c.*

Antiquarijs suis obtrudere. Quibus magis maiores etiam vt Centones farciret, seriò insuper conatus est persuadere; *Ciuitas omnis*: parum herculè Latina Ciuitate dignum videri sibi. Sed venia danda Iuris (Bartholíne, an Apitiani) veteri candidato, & in aliis merēti castris. cui, quid graue, si in opere tam magno, tamq́ue multiformi somnus subinde dormitanti obrepserit?

*Quid? peragíne aliter hæc sacra posse putas?*

Poteit quoq. vt supradicta Horatij exempla

*Cum vino pariter murcidus ebiberit.*

Nam nisi ita foret, dicta haud dubiè iam dies Flacco apud Priscianum fuerat, læsæq́ue oppidò Latinitatis

Latinitatis intentata Formula; aut certè:

*Ciuitas quaq.* (id quod Prudentio, per imprudentiam nescio cuius, præter meritum suum euenisse deplorauimus modò) pro *Omnis*, sinistra liberalitate condonatum, relatumq. adeò in librariorum Acta. vt Burrhanicus versus existeret scilicet.

Caput octauum intactum porrò nobis abire non debet, eo loci, vbi scribitur ab Horatio:

*Beatus Fannius, vltrò*
*Delatis capsis, & imagine, &c.*

Hunc enim morem iam inde ab antiquo Poëtis illis sollennem fuisse, præter ea, quæ ibidem ex argumento memorata nobis, Attij quoq. Tragici exemplo clarum: qui (proinde vti Plinius affirmat) in eampse istam (qua de agitur) Camœnarum AEdem à Fuluio (nî fallor) Nobiliore exstructam primitus, pòst ab Octauiano Cæsare (sicuti diximus) instauratam, imaginem suam viuentis videntisq;, & quidẽ maximam, quum ipse statura exiguissima esset, dedicauit consecrauitq. Atque hoc est, quod Horatius condignè adeò ac Satyricè in Suffeno isto, nimium sibi placente, ac

*Maiores, verito nil, nido extendere pennas,*

exagitat irridetq;: quòd videlicet, *Vltrò delatis capsis librisq;* (ruris & inficetiarum plenissimis) vnà

vnà cum imagine sua, exēplo quidem Attij, præiudicio verò ipsius suo, sese in principum Poëtarum numerum immeritissimo ingessisset. Verba Plinij sic sonant, ex libri natural. Hist. XXXIV. Capite V. fidei caussa maximè, hucce (si pateris) transferenda:

*Notatum ab auctoribus, & L. Actium Poëtam in Camœnarum Æde maxima forma statuam sibi posuisse, quum breuis admodum fuisset.*

Ad illius verò moris illustrationem, quem Capite IX. pag. LXV. in transcursu obiter, & quasi vellicatim attigimus, de *Capitum velatura*, scilicet in nouissima rerum omnium, ipsiusq. adeò salutis desperatione, nullum equidē exemplum accommodatius reperiri posse autumo, quàm Petronianum illud, extremo manifestè periclitantium voto, ex Gytonis persona conceptum:

*Praeligemus* (inquit) *vestibus capita, & nos in profundum mergamus.*

Capite porrò X. commemorata nobis haud pauca per caussam munerum Natalitiorum, quibus amici potentiores vel propinquos, vel clientes suos premere per iniquissimā sanè ambitionem consueti antiquitus, ad Horatianū illud scilicet:

*Natales gratè numeras, ignoscis amicis.*

Nec pœnitet enarrationis; pœnitet incogitantiæ solùm; qua factum, vt quod maximè in rem præsentem

ſentem conducere viſum poſteà, id tum temporis ne legiſſe quidem in mentem venerit mihi. Macrobianum exemplũ inquio, ex lib. I. Cap. IV. Saturnalior. Scin' cuiuſmodi? aduorte igitur, vt ſcias:

*Illud quoq. in literis inuenio, quòd cùm multi occaſione Saturnaliorum per auaritiam à clientibus ambitioſè munera exigerent; idq; onus tenuiores grauaret, Publicius Trib. pl. Legem tulit, vt non niſi cerei ditioribus mitterentur.*

Hactenus Longæuus ille. Neq. cum hac Publicia Lege pugnantia Martialis noſter, nuſquam non paſſim in Cereorum, atque id nugarum commemoratione ludos verè Saturnalitios, more ſuo, faciens Lectori.

CAPVT II.

QVIRINVS *Martis equis Acheronta fugit.* *Ter*, pro Tertiùm interpretandũ. *Graues Perſæ*, ad grauẽ Perſici equitatus armaturã potiùs, quàm ad cladem Craſſo ac Romanis illatam trahi debere. Id exemplis oſtenſum. *Fulgas*, ſiue etiam *Fulgis*, pro Fulgeas, aut Fulgere poſsis, ex veteris interpretis gloſſemate Flacco redonatum, quo loco *Fulges* hodie publicatum legitur. *Volens*, haud de nihilo Horatianę precationi appoſitum, vt quod Sacrorum ſollenne verbum iam inde ab antiquo fuiſſe, Catoniano non minus, quàm Plau-

Plautino teſtimonio conuincitur. Eôdem quoq; exemplum Salluſtij adplicatū. *Pollex*, pro vngue pollicis; quem quidem admorſum, furentis, vel certè ſtomachantis animi indicium eſſe, Petronij & Propertij exemplis demonſtratum. *Creta*, & *Ceruſſa* diſcrimen factum contra nou-antiqui Commentatoris decreta. Eam in rem Martialis laudata auctoritas. Eiuſdem, & Petronij exemplorum, de Plautinis feſtiuitatibus adumbratorum, conlatio.

Oda tertia libri tertij delibata leuiter nobis Capite VII. ad quam denuò vorſoriam etiamnum capere quid vetat? In ea Iuſtitiæ cum Conſtantia iunctæ inuictum robur nobis ante oculos ponitur, vſq. ab ipſo Hercule, Polluce, Libero patre accitis altius auctoritatibus; etiam ab AEternæ illius Vrbis conditore, in Deorum Immortalium numerum ob merita relato deniq., cum Quirini nomine: quem inibi

*Martis equis Acheronta fugiſſe*,

prædicat Poëta noſter; haud poëticè quidem, aut ἀλληγορικῶς (vti Commentatoribus commentū placet) ſed verò ex publica & antiqua Romanæ Hiſtoriæ fide, atq. adeò inueterata omniū Quiritium perſuaſione. cui nō minus idoneum auctorem Ouidium quoq. in ſacro illo Faſtorum ſuorum volumine concorditer adſtipulari videmus;



Digitized by Google

Horatianum hoc quasi enarrantem nobis libro eiusdem operis II.& quidem planissimè.quippe eadem de re institutum sermonē exsequi pergentem,de inopino Romuli excessu loquor,item Poplifugio eiusdem Regis raptum protenus cōsecuto.Sic enim inibi,posteaquam Martem à Ioue nouam nescioquam diuinitatem Romulo filio impetrantem induxisset,subdit denique:

*Est locus : antiqui Capreæ dixere paludem.*
*Fortè tuis illic,Romule,iura dabas.*
*Sol fugit,& remouent subeuntia nubila cælum,*
*Et grauis effusis decidit imber aquis.*
*Hinc tonat,hinc missis abrūpitur ignibus æther.*
*Fit fuga:Rex patrijs astra petebat equis.*

Vides,vt cum Horatio disertè cōsentiat Ouidius, Equorum item Martis meminēs,quibus filium eius Romulum, *in cæli cærula templa subuectum*, Acherōta pariter effugisse videri cupit sanctissimus ille Fastorū scriptor.atq.hoc ipsum est,quod narrat nobis Dionys. Antiquit. Rom.lib. II.

Οἱ μὲν οὖν μυθωδέστερα τὰ περὶ αὐτοῦ (ῥωμύλου) ποιοῦντες ἐκκλησιάζοντά φασιν αὐτὸν ἐπὶ στρατοπέδου, ζόφου κατασκήψαντος ἐξ αἰθρίας, καὶ χειμῶνος μεγάλου καταρραγέντος, ἀφανῆ γενέσθαι, καὶ πεπιστεύκασιν ὑπὸ τοῦ πατρὸς ἄρεως τὸν ἄνδρα ἀνηρπάσθαι.

Eadē Oda parū hercule mihi satisfaciūt interpretes in enodatione numeri ternarij ad versus illos:

Ter

*Ter si resurgat murus aheneus*
*Auctore Phœbo; ter pereat meis*
*Excisus Argiuis : ter vxor*
*Capta virum, puerosq; ploret.*

Omnibus enim in hoc pariter video conuenisse, vt finitum pro infinito positum arbitrentur. ego contrà, *Ter*, pro Tertiò, seu potius Tertiùm cautè ac cogitatè à Poëta scriptum accipio: vt bis tantũ Troiam excisam interpretemur. idq́. de principis Poetarum sententia ita AEneid. IX. attestantis: *Bis capti Phryges*, quanquam alij non bis modò, sed verò ter etiam captum euersumque Ilium fuisse volunt; primùm ab Hercule, deinde ab Amazonibus, postremò à Græcis, Imperatore Agamemnone. Huc insuper Fimbria cum Romanis si accedit, quid relinquitur porrò, nisi vt quater Pergamo excidium factum agnoscamus? Sed verisimile est, Horatium (vt dixi) eorum potius opinionem sequutum, quibus bis tantùm Ilienses captos persuasum videbat; primùm (opinor) ab Hercule, iterum ab Argiuis Iunonijs Helenam reflagitantibus sibi. tametsi vrbi illi bis vastitatẽ inductã, ductu atq. auspicijs vnius Herculis maximè, videri cupiat Propertius, verbis illis:

*Exiguo sermone fores nunc Ilion, & tu*
*Troia bis Oethæi numine capta Dei.*

O la eiusdem libri quinta, vbi scribitur:

*Praesens Diuus habebitur*
*Augustus adiectis Britannis*
*Imperio, grauibusq; Persis.*

nihil minus, quàm Veterem Interpretem audiẽdum cẽseo, in Epitheti illius explanatione, quod Lyricus noster Persis assignat, *Grauibus*, inquio, quodquidem ille, *Perniciosis*, interpretatur, propter Crassi mortem, ac cædem legionum scilicet. Ego enim longè aliud mecũ & cum animo meo cogito; credoque pro Cataphractis, hoc est, pro grauis atq. Equestris armaturæ turmalibus positum. quo ex genere vniuersus ferè Parthorum, Medorumque ac Persarum equitatus constabat. Propertius:

*Néue tua Medae lateniur caede sagittae,*
*Ferreus armato neu cataphractus equo.*

Sed & Serum, Indorumq. eodem Elegiographo attestante:

*Te modò viderunt iteratos Bactra per ortus:*
*Te modò munito Sericus hostis equo.*

Neq. aliò sanè Fragmentum illud Sallustianum ex incerto Historiarum libro allatum applicandum opinor:

*Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant.*

Etenim de Tigranis Equitatu sermo institutus videtur. ad quem locum Seruius XI. AEneid.

*Cata-*

*Cataphracti* (inquit) *sunt equites, qui & ipsi muniti ferro sunt, & equos similiter munitos habent.*

Quod reliquum est, idem Epithetum quoque lib. I. Oda II. à Poëta nostro iteratum reperias, vbi canit:

*Audiet ciues acuisse ferrum,*
*Quo graues Persæ melius perirent.*

Oda XI. libri sequentis post Albani vini de interiore nota commendationem, festiua insuper corollarum mentione iniecta, ad Mæcenatis Natalem pariter celebrandum, Phyllidem, (amores inquam suos,) inuitat his verbis: *Est in horto;*

*Phylli, nectendis apium coronis;*
*Est hederæ vis*
*Multa, qua crines religata fulges.*

Ad quem locum Commentator hybrida:

*Fulges, id est, fulgere poteris, aut, fulgere soles. nõ enim eam ad se coronatam venire cupit, sed inuitat, vt apud se coronetur.* Et hactenus pòl quidem ille. Proinde suspicor emendandum, *Fulgas*, hoc est, fulgere possis; ab antiquo verbo *Fulgo*: vnde & infinitiuus, *Fulgĕre*, penultima breui apud Lucretium, Vergilium, alios. Ex qua nota etiam *Feruo*, pro *Ferueo*, apud eos ipsos lectitatum identidem. vel certè, Fulgis rescribendum pro eodem, eiusdem archaismi fiducia maximè. à

quo Flaccus noster alienus videri non debet, qui pari ratione lib: Epod. proximo:

*Edit cicutis allium nocentius*:

pro *Edat*, vsurpasse deprehenditur, à præsenti *Edim*, ἀντὶ τοῦ Edam deflexum, antiquè, vti dictũ est modò.

Odæ xxx. libri III. clausulam hoc modo cõceptam inuenîmus: *Et mihi Delphica*

*Lauro cinge volens, Melpomene, comam.*

*Volens* dicit, ex formula illa sollenni, atq. hercule perantiqua precantium ac venerantium Deos, cuius apud priscum illum Catonem mentio non semel:

*Vti tu sies volens propitius mihi, familiaq; mea.*

Item Comicum nostrum Curculione:

*PH. Agite, bibite festiuæ fores,*
*Potate, fite mihi volentes propitiæ.*

Neq. aliorsum spectare Sallustiana illa sententia videtur:

*Munificus nemo putabatur, nisi pariter volens.*

hoc est, ex animi sententia potius, quàm inani ambitione studens, fauensque, ac beneuolens acceptoribus suis. Oda v. Epod.

*Hic irresectum sæua dente liuido*
*Canidia rodens pollicem.*

Bene hoc loco *Pollicem*, pro vngue pollicis positũ obseruauit Interpres vetus, ad exprimendum habitum

bitum ſcilicet & modum furentis Canidiæ. cui rei firmandæ Fragmentum quoddam Petronianum, in Satyrico eius deſideratum, protenus ibidem ſubiungit his verbis:

*Petronius vt monſtraret furentem, Pollice (ait) vſque ad periculum roſo.*

Quam eius commentationem, Propertij quoque auctoritate vti conſtabiliamus, en tibi à Callimacho illo Romano par exemplorum, mi Lector, quiſquis es:

*Et ſæpè immeritos corrumpas dentibus vngues,*
*Et crepitum dubio ſuſcitet ira pede.*

Item ſub finem libri Elegiarum tertij:

*Vngue meam morſo ſæpe querere fidem.*

Oda porrò XII. libri eiuſdem ſcribitur ab Horatio de vetula interpole libidinem concitante, criſſanteq., cano capite, ætate aliena: *Nec illi*

*Iam manet humida creta, colorq;*
*Stercore fucatus crocodili, &c.*

Vbi Commentator Cruquianus interpretamenti vicem ſubijcit nobis: *Humida, ſ. ex ſudore.* Inſanè bene: illud non item:

*Cretam appellat Ceruſſam, qua faciem illinunt meretrices, quæ cretæ candidiſſimæ eſt ſimillima: fitq; Ceruſſa ex plumbo & aceto.*

Quid enim? Cretáne eadem cum Ceruſſa? Apage: haud placet. & confutat expoſitionem iſtiuſ-

 modi

modi disertissimè Martialis meus, scribens:

*Quàm cretata timet Fabulla nimbum,*
*Cerussata timet Sabella solem.*

Cæterùm vniuersæ Horatiani huius loci sententiæ pressius aliquanto considerandæ, incredibile est memoratu, quanta à Plauto nostro radiantis luminis alluceat copia. Exemplū specta ex eiusdem Poetæ Mostellaria laudatum ab ipso etiam Cicerone lib. 11. ad Atticum Epist. 1.

*SCA. Quia ecastor mulier rectè olet, vbi nihil olet.*
*Nam istæc veteres, quæ se vnguentis vnctitant interpoles,*
*Vetulæ edentulæ, quæ vitia corporis fuco occulūt,*
*Vbi se sudor cum vnguentis consociauit, ilico*
*Itidē olēt, quasi quom vnà multa iura cōfundit*
*Quid oleant* (Lambini lectionem sequi me scito) *coquos nescias, nisi id vnum, vt malè olere intelligas.*

Cuius quidem testimonij principium & Martialis, & ante Martialem Petronius in vsus priuos tralatum, duos de singulari fidelia parietes dealbasse videri possunt, scribentes ambo pariter:

*Non bene olet, qui bene semper olet.*

Audacius tamē Celtiberus ille, ad Plautinę huiusce argutię imitationē, solidam quoq. Epigrámatis clausulā reconcinnare ausus nobis, vbi scribit:

*Malo,*

Digitized by Google

*Malo, quàm bene olere, nil olere.*

Libri eiusdē Oda XVI. de Fortunatorū Insulis:

*Illic iniussæ veniunt ad mulctra capellæ,*
*Refertq; tenta grex amicus vbera.*

Vbi Epithetum τὸ *Amicus*,

*Parum esse pol videtur efficax mihi,*

ad mirabiles atq. omnimodas illas ouilli pecoris, quas tangit, commoditates satis hercle pro virtute exprimendas. Itaq. haud absonum, neq. absurdum iri visum existimamus, si pro *Amicus*, *Amictus*, Horatio porrò in posterum condonemus: quæ præcipua ouium est commendatio, vt pellitæ, pulchreq. lanatæ scilicet, ac floccis vestitæ probè; hoc est, vti (ex Varronianæ disciplinę sententia) *lana multa sint, & molli; villis altis & densis toto corpore, maximè circum ceruicem: ventrem quoq. vt habeant pilosum potius, quàm glabrum.* Neq. enim Apicas, aut minas (vti veteres loquebantur) nec decotes, vel defloccatas esse cōuenit, quas fructuosas euenire velis tibi; neq. pro reijculis habere, extra ouillam decuriam exigēdas porrò, atque eliminandas quàm longissimè. Neque dissentanea nimium huic sententiæ Ouidiana illa de prisci illius ac Saturnij sæculi plusquàm Pythagorica abstinentia innocentiaq. agentis:

*Ibat ouis lana corpus amicta sua.*

## CAPVT III.

GENITALIS, *eadem cum* Natali Iunone *apud Horatium. Subgalli cantum patronorum ostia à cõsultoribus pulsantur. Hemistichij cuiusdam à Lucretio (cui falsò tributum hactenus) ad Lucilliumtralatio De eiusdem dicto Horatiana quadam sententia mutuata atq. adumbrata penissimè. Alius loci à Propertio, & Martiali illustratio. Fragmentum Lucillianum numeris suis redditũ.* Positum ante, *pro Antepositũ, quo modo &* Ponitur ante *apud Tibullũ, per μετάθεσιν construendum. Bina Lucillij exempla haud aliò, quàm ad* Itinerarij eiusdẽ Campani *descriptionem accommodanda videri.*

IN Carmine Sæculari ita porrò Iunonẽ compellat Horatius:

*Siue tu Lucina probas vocari,*
*Seu Genitalis.*

Quo loco *Genitalis*, pro *Natali* positum obseruabis. Hoc enim cognomento præ cæteris maximè *Sancta cluens, Magna illa Deûm Regina, Iouisq; Et soror, & coniunx.* in cuius tutela fœminarum Natales, proinde vt virorum in fide Genij, rerum genundarum auctoris scilicet. vnde &, *Natura Deus humana*, probabiliter indigitatus Horatio alibi.

Illud verò Satyræ primi libri prioris:

*Agrico-*

Digitized by Google

*Agricolam laudat iuris legumq́ peritus,*
*Sub galli cantum consultor vbi ostia pulsat.*

à nemine Scriptorum disertius, quàm ab ipso Cicerone interpretatum habemus, Oratione pro Murena:

*Multò plus adfert dignitatis, rei militaris, quàm Iuris ciuilis gloria. Vigilas tu de nocte, vt tuis consultoribus respōdeas: ille verò, quô intendit, maturè cū exercitu perueniat. Te gallorum, illum buccinarum cantus exsuscitat.*

Ad alterum eiusdem Satyræ locum transeamus:

*Vt pueris olim dant crustula blandi*
*Doctores.* idq́; Lucilliani honoris gratia potissimùm. cui Hemistichium illud à veteri Cōmētatore ad huiusdē loci illustrationē productum maximè: *Gustaui crustula solus.* me porrò aliquādo vindice vt redonetur, aio contendoq́; perperam hoc ipsum Lucretio ob nominis vicinitatē transcriptum Neq. enim tale quidpiā in toto Lucretio, quāuis diligentissimè euoluto, oculo præsente vspiam mihi videor arbitratus.

Addatur & tertiū eiusdem Satyræ exemplum:

*Nil satis est, inquit: quia tanti, quantum habeas, sis.*

Fuit aliquando tempus, quum postremam hanc clausulam ita pulcrè reconcinnasse videbat mihi:

*Quia tanti, quantum habeas sis.*

pro

Digitized by Google

pro, Censeris, ęstimaris. nunc Lucilliani testimonij auctoritas, vnde hanc ipsam γνώμην suam mutuatus Horatius, sententiam mutare me cogit: Sic enim Suessanus ille:

*Aurum, atq. ambitio species virtutis vtriq. est,*
*Quantũ habeas, tanti ipse sies, tantiq́ȝ habearis.*

*Vtriq.*, s. candidato. nisi fortè, *vtrumq;*, inibi rescribendum.

Sat. II. *Si. interdicta petes, vallo circundata (nam te Hoc facit insanum,) &c.*

Ad quæ Interpres: *Insanũ. i. ardentem in libidinẽ, quòd custodijs septa ac munita, quã amas. Semper enim ad id plus incendimur, quô difficilius peruenimus.* Rectè quidem ille. imò hercule ex sententia Epigrammatij eius, quod Celtibero Poëta suggerente sum subscripturus:

*Nullus in vrbe fuit tota, qui tangere vellet*
*Vxorem gratis, Cæciliane, tuam,*
*Dum licuit. Sed nunc positis custodibus, ingens*
*Turba fututorum est. ingeniosus homo es.*

Consulatur & Naso noster, multa passim ad hanc sententiam in Amorum libris more suo ingeniosè non minus, quàm festiuè colligens. vnde non absurdè, neq. adeò iniuriâ Propertius, & ipse in Amoris artibus haud tyrunculus vtiq. aut hospes:

*Contrà, reiecto quæ libera vadit amictu,*
*Custodum & nullo septa tumore placet:*

Eiusdem

Digitized by Google

Eiusdem in Commentarij parte ad versus illos:

*Hæc vbi suppoſuit dextro corpus mihi læuum,*
*Ilia, & Egeria eſt, &c.* Quibus enarrationis loco subdit Interpres Cruquianus:

*Huiuſcemodi mulieri, quum mecũ concumbit, & eſt in meis complexibus, do nomen Iliæ & Egeriæ, quæ pulcerrimæ fuere. quod & Lucillius ait in quinto: Et cruribus crura dilaxat.*

Fragmentum Satyrographorum principis vides, Hemistichij specie propositum tibi. Sed hoc verisimile nõ est; eô minus, quòd initialem postremi verbi syllabam ratione quantitatis produci necessum sit. itaq. corrigatur quàm primùm:

Et *cruribu' crura* *Dilaxat.*

vt iam inde à *Dilaxat*, nouum alterius Hexametri exordium instituatur scilicet. Sat. III.

*Aut poſitũ ante mea quia pullũ in parte catini*
*Suſtulit eſuriens, &c.*

Credo μετάθεσιν esse, positumq. pro composito singulari, *Antepoſitum.* quemadmodum & illud initio operis Tibulliani:

*Et quodcumq. mihi pomum nouus educat annus,*
*Libatum agricolæ ponitur ante deo.*

pro, *anteponitur agricolæ deo*, secũdum illud Comici nostri ex Curculione: *Quid antepones Veneri pro ientaculo?* Habes in eodem commentario aduersum illum Satyræ VI.

*Si ne-*

*Si neque auaritiam, neq. sordes, nec mala lustra*

*Mala lustra, dixit perpetuo Epitheto; nec enim. sunt bona, vt ad eorum discretionem, Mala, dixirit.* Sic & à Plauto; *Attica Athena*; & à Lucillio, *Campana Capua.* *Campanam* ergò *Capuam* perhibuit Lucillius, vt opinor, in Itineris sui descriptione, quod Poetam illum omnium doctissimum Roma Capuam vorsus fecisse, atque inde ad Fretum vsq. Siciliense porrò, in Satyræ superioris explicatione idem ille, quem dico, fidē nobis fecerit Interpres. idq. libri Lucillianarum Satyrarum tertij perpetuum argumentum fuisse, ex superstitum ipsius Fragmentorum indicio coniecturam haud absurdè facturi nobis videmur. neq. aliouorsum pertinere fortasse alterum eiusdem Satyrici Hexametrum quoddam, quod ibidem modico interuallo à Capua ista Campana dissitum est lectitare, hocce exemplo: *Mantica cantherî costas grauitate premebat.* Videtur autem de se ac vectore suo, hoc est, *quadrupedanti crucianti* (vt quidem Plautus loquitur) cantherio fabulari, cui hippoperæ vtrinq. dependentes (id enim Mantica est) tergaq. ac costas pressatas detritasq; vlcerabant onere sarcinarum multo infestissimo. Vide Senecam de Prisci illius, & Censorij Catonis, nimis hercule æstiuè viaticati, pompa ac comitatu ex prouincia Hispania domum denuo re-

uorsio-

uorſionem, cum Publico imperio faciuntis, Philoſophicè diſſertantem.

CAPVT IV.

PRORSVS, *nouo more, vel antiquo potius, ex Salluſtio interpretatũ.* Vnam farris libram *Sarmẽto ſcurræ, ſelibrã Valerio Catoni Grammatico ſatis ſuperq́; pro diario fuiſſe.* Ordearius Rhetor, *in Cœlianæ Orationis Fragmento quomodò apud Suetonium accipiendus. Feſti, item Plinij eam in rem adductæ pro teſtimonio auctoritates: cui poſtremò* Hordearios *etiam* Gladiatores *debemus.* Cubat, *pro Decumbit acceptũ.* Iterum quæ digna legi ſint, *non quæ ſemel ſcribenda. Id ipſum ad Tullianæ ſentẽtiæ ſimilitudinem dilucidè enarratũ. Eneruis compoſitio,* Arena ſine calce, *dictitata Caligulæ. Ennium Maioris Africani res geſtas; Lucillium verò Minoris, familiaris ſui, vitam priuatam verſibus deſcripſiſſe. Id argumentis & quidem euidentibus firmatum: eâdemq́; ſpurij Commẽtatoris erratio in ambiguo Scipionis nomine manifeſtò detecta.* Generoſum vinum, *pro vetuſto;* Lene, *pro maturo ac probè excocto ſumi oportere. Aurati de Tibulli & Horatij locis coniectura in medium protracta,* τὸ Lene, *vtrobiq; pro temeto ſubſtantiuè poſitum interpretantis.*

EIVSDEM libri Ecloga v. plus in receſſu abſtru-

ſum latet, quàm prima fronte inſpectantibus appareat in verſu illo : *Prorſus iucundè cœnam produximus illam*. in quo perſpicuè manifeſta omnia, præter aduerbium Prorſus, ex Salluſtio interpretandum pro *Ad ſummam*, ſiue etiam *In ſumma*, trito loquendi genere, quoties inchoatæ affectæue narrationi pauſam facere approperantes, tribus verbis quod reſtat, hoc eſt, ſummatim nos exequi, ac Lectorem quàm citiſsimè abſoluere paratos ſignificamus. Inter τὸ *Prorſus* igitur, item *Iucundè*, conſtituendum comma. non enim aliter Criſpus noſter, in coniuratione Catilinaria, de ingenio Semproniæ ſermonem ſerens huiuſmodi: *Verum ingenium eius haud abſurdum, poſſe verſus facere, iocũ mouere, ſermone vti vel modeſto, vel molli, vel procaci. prorſus, multa facetia, multusq́ lepos inerat.*
deniq. alibi paſsim non ſemel.

Præceſſerat in Horatio modò : *Cui ſatis vna Farris libra foret gracili ſic, tamq́ puſillo.*
Atqui Sarmento ſcurra continentior contentiorq́ue Valerius Cato Grammaticus, cui non dico libram totam, verùm ſelibram farris modò, hoc eſt, dimidio etiam minus pro demenſo diurno ſuffeciſſe, teſtis fuerit Tranquillus nobis, libro De illuſtribus Grammaticis, auctoritate vſq. ab argutiſsimo Epigrammatariorum Bibaculo petita,
cuius

cuius hos Phaleucos; ibidem propositos legimus:

*Quem tres coliculi* (ita enim scribo) *& selibra farris, Racemi duo, tegula sub vna*
*Ad summam propè nutriant senectam.*

Quô applicare possis illud etiam Titinnij:

*Libram aiebant satis*
*Esse ambobus farris nutrire. plus comest*
*Sola vxor.*

Sed quoniam in Suetonij mētionem incidimus, ausim & hîc officium meum facere, atq. hancce occasionem multò hercle bellissimam, haud quęsitam, verùm vltrò ac fortuitò oblatā nobis, quātum potest in ipso articulo ire oppressum: adiecta obscurissimi loci illustratione, ex altero eiusdem de Claris Rhetoribus opusculo acciti. Verba sic habent:

*Hunc eundem (L. Plotium Gallum) M. Cœlius in Oratione, quam pro se, De vi, habuit; significabat dictasse à Cratino* (emenda, Atratino, ex M S C.) *accusatori suo actionem subtractoq; nomine Ordearium eum* Rhetorem *appellat, deridens vt inflatum, ac leuem, & sordidum.*

Mira hîc Scholiastarum titubatio, quos *Ordinariū* partim, alios multò etiam putidiora substituere haud puduit. Mihi verò relictis Cōiectorum affanijs vulgatæ potius scripturæ subscribere stat

I senten-

ſententia. cui me hercules explicãdæ, exemplum aliud nullum opportunius reperiſſe videor mihi, quàm illud à Feſto, vbi ſcribit:

*Hordeariũ as, quod pro hordeo Equiti dabatur.*

Vt ſignificauerit Cælius, Rhetorem iſtum Plotiũ aliam laboris ſui mercedem non merere, neque opimius diſciplinæ præmium ab auditoribus ſuis reportare cõſueſſe, quàm quod ad ſingularis equi pabulum Equiti ſufficere putabatur. quod profectò nauci non erat. Vide an huc quoq. accommodare poſſis Plinianum illud libri XIIX. capitis VII.

*Antiquiſsimũ in cibis hordeum, ſicut Athenienſium ritu Menãdro auctore apparet, & Gladiatorum cognomine, qui Hordearij vocabantur.*

Sat. IX.

*Trans Tiberim longè cubat is prope Cæſaris hortos.*

CVBAT, nempe *in morbo*, (cũ Plauto vt loquar) eadem ratione, qua Publius & Marcus Terentij, item Columella, *Decumbit*, vſurpaſſe inueniuntur. qua notione & nobis ſemilatinis hoc vocabulum etiamnũ hodie in vſu. quemadmodum & priſci item & Horatiani illius moris frequens ac ſollennis ad amicos animi aut corporis ægritudine laborantes viſitatio. Quod officij genus alibi quoq., Epiſt. puta II. libri II. Satyrico

noſtro.

Digitized by Google

nostro haud neglectũ, quum inter cæteras vrbanæ seruitutis incommoditates, assiduasq; molestias huius quoq. necessitatis fastidium agnoscit, istiusmodi querimonia. *Cubat hic in colle Quirini,*

*Hic extremo in Auentino, visendus vterque.*

Adde idem verbum ab eodem præterea vsurpatum Sat. III. libri secundi:

*Mater ait pueri, menses iam quinque cubantis.*

Denique Ouidio in Epistola Acontiana:

*Hæc cubat, ille valet.*

Sat. x. & vltima præcipit nobis Flaccus:

*Sæpe stylum vertas, iterum, quæ digna legi sint,*

*Scripturus.* Cuius sententiæ acumen ex indicio Tulliano, quod quidem in Bruto suo de Liuij Andronici, Poëtæ quantum cluit Latinorum antiquissimi, Comœdijs fecit, liquidò demùm est intelligere. Sic enim inibi:

*Nam & Odyssæa Latina est sic tanquam opus aliquod Dædali; & Liuianæ Fabulæ non satis dignæ, quæ iterum legantur.*

Vnde paret, secundum in Horatiano exemplo comma inducẽdum, ac τὸ *Iterum* pariter cum sequentibus sine vllo interpuncto construendum, contra publicum Editionũ nostrarũ consensum, & quasi cõiurata suffragia. Quo intellectu dixerat Satyricus antea in eapse hac Ecloga:

*Nec redeant iterũ atq. iterũ spectanda theatris.*

Eôdem ſpectat & ſermo ille Prouerbialis notiſsimus: δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν. Deniq. quod à Poeta noſtro in Arte alibi cõmemoratur de Picturarũ cũ Poëſi inter ſe collatarum diſsimilitudine:

*Hæc placuit ſemel, hæc decies repetita placebit.*

Sat. I. libri II. *Sine neruis altera, quicquid*
*Compoſui, pars eſſe putat, &c.*

Hoc ſcriptionis genus Caligula Cæſar non infeſtiuè, *Arenam ſine calce*, vocitabat: cauillum iſtud in Senecam, eloquentię nomine maximè id temporis placentem, vana æmulatione iacere ac detorquere ſolitus, teſte Tranquillo: proinde quaſi tu *Scopas diſſolutas* dictites. Ad illud porrò ex Trebatij perſona prolatum:

*Attamen & iuſtum poteras, & ſcribere fortem,*
*Scipiadam vt ſapiens Lucillius.*

ſubijcit ibidem hybrida iſte commentator noſter quaſi Poëtæ Iuriſconſultus dixerit:

*Si non potes geſta Cæſaris ſcribere, at potes iuſtitiam & fortitudinem, vt Lucillius Scipioni fecit, qui vitam eius priuatam deſcripſit, Ennius verò bella.* Vnde vitam Scipionis priuatam, domeſticaſq; ac politicas virtutes, à Lucillio deſcriptas liquidò eſt recognoſcere. & hactenus quidem ex rei ipſius fide. Errat verò in ambiguo Scipionis nomine. Conſtat enim Ennium Scipionis quidem res geſtas ac præclara militiæ facinora

nora

Digitized by Google

nora grauissimis iuxtà, ac luculentissimis versibus celebrauisse: verùm hercule Africani illius Maioris, quem cum AEmiliano Numātino isto, nepote inquā eius adoptitio, sic temerè confundi sanè æquū nō fuit. cuius actiones priuatæ, domiq; atq; in toga, nō verò res bellî gestæ, omnis deniq; vrbanæ vitæ cursus vrbanissimè, à familiari suo Lucillio in Satyris, quasi Tabellæ Votiuæ simulacro proposito, depicta ac pertractata. idque diu adeò post Ennij Poetæ, atque ipsius Maioris Scipionis excessum: qui posterioris huius auus cluit; quæsita à Paulo AEmilio per orbitatem filij adoptione. Sed hoc (vt aiunt) μνημονικὸν ἁμάρτημα.

Epistola xv. libri 1. ad Gn. Vmoniū Vaâlam.

*Ad mare quum veni, generosum & lene requiro.* De interiore nota Consulare, ac *vetustate vinum edentulum* cum Plauto interpretor. Præcipua enim dos temeti, ab ætate vt commendetur: quæ sola generi huic pretium faciebat antiquitus. vnde non iniuria sanè *Generosum* dictitatum Horatio; ex opinione nobis etiamnum hodie, quasi per manus vetustatis, tradita transcriptaque; qua nobilitatem potissimùm ratione antiquitatis metiri porrò atq; æstimare didicimus. Sed & *Lenitatis* quoq; ab eadem caussa, hoc est, suauitatis nomine, ex multorum annorum coctione cōtractæ

vinum suum commendat Horatius noster. quô illud etiam libri Carm. III. Odæ XXI. referri licebit: *Descende, Coruino iubente,*

*Promere languidiora vina.*

cui cōtrarium hoc quod *Austerum* perhibemus, præcoquum, insitæq; adhuc acerbitatis plenū oppidò; & quod longa dies necdum mitigauerit scilicet; nedum vt ob extremam senij maturitatem Edentulum Plautino iure appellitari possit scilicet. Aurato tamen (at cui viro?) *Generosum lene requiro*, coniunctim & sine vlla copula legi ac rescribi placebat: commoto exempli illius auctoritate maximè, quod libri primi Elegia IX. apud Tibullum in hanc rem obseruatum dicebat sibi; verbi gratia:

*Ipse Deus cupido permisit lene ministro,*
*Ederet vt multo libera verba mero.*

Vnde non pro adiectiuo modò, sed verò & substantiuo interdum à veteribus nomen istud vsurpatum contendebat. cui originationi firmandæ præstò ecce subsidiū nobis à Donato, qui Bacchici illius cognomenti plantaria à *Leniendo* deducit; quòd vinum mentem leniat scilicet. contra aliorum sentētias, quibus ἀπὸ τοῦ ληνοῦ potius, hoc est, à torculari formatum placet. quod ipsum ijdem Grammatici illi ἀπὸ τοῦ λεαίνω. i. tero, comprimo, seu torqueo radices egisse videri volūt. Mihi verò

aqua

aqua hîc hæret; atque eò magis, quòd Epitheta iſtæc Horatij gemina, *Generoſum* dico, & *Lene*, ad *Vini* mentionem, quæ ſecundo abhinc verſu anteceſſerat modò, haud inconcinnè retrahi poſſe intelligam. adde, quòd ſupradictum Tibulli locum haud leuiter ſuſpectum faciat nobis variantium ſcripturarum controuerſia.

## CAPVT V.

COMMVNIS *lectio in Horatio defenſa ſimul, atque enarrata planiſsimè, contra Grammaticorum Equitum ſententias.* Afranij, Pomponij, ac Nouij, *trium principum Atellanicorũ Poetarũ ætates non minore cura, quàm fide examinatæ pariter, ac diſtinctæ. & huius quidem nomen in Nauianũ locũ è fuga postliminiò reductũ. Loci alterius diſcuſsis tenebris illuminata obſcuritas. Alia quadã monetæ probioris.*

EPISTOLA XIX. poſt Satyricã gloriationẽ ita porrò ipſe de ſe paratragœdiare pergit Horatius:

*Non ego nobilium Scriptorum auditor, & vltor*
*Grammaticas ambire Tribus, & pulpita dignor.*

Mira hîc Grãmaticarũ Tribuũ concertatio ſuper voce, *Vltor*, partim de Veteris Cõmentatoris ſententia pro *Iudice*, partim pro *Laudatore*, inſcitiſſimè ſumentiũ. Inuenias etiã, qui *Actor*, pro *Vltor* Horatio benignè de ſuo cõdonare auſi, ne longũ;

*Omnibus vnus*
*Error, sed varijs illudit partibus.*

quem tamen ex notissima indignatione illa, vnde Satyram suam auspicatus Iuuenalis, vno ictu discutere, inq; noxia manifesta prehensum confutare nullo sanè negotio possis. verbi gratia:

*Semper ego auditor tantū, numquámne reponā,*
*Vexatus toties rauci Theseide Codri?*

Significat enim Horatius ex eo se Poëtarum genere nō esse, neque in ijs nomen profiteri suum, quos improba quadam, ne dicam insanabili scribendi pariter, ac recitandi prurigine accensos, aurium operam frequentem aliorum importunitati locare & commodare non pudet, quamuis inuitos atq; ingratijs suis maximè, nulla alia re, nisi vt & ipsi pariter mutuum facere, atq. hostimentum par pari referre in tempore possint; iustissimo vltionis genere eos inuicem auditores habituri, quos toties *plena rurus & inficetiarum* carmina recitantes, præter animi sui auriumq; sententiam anteà indignissimè perpessi. ne exercitoribus suis porrò sit impune, quòd præ ipsorum recitatione res suas omnes relictas habuerint scilicet, tantùm non ad languorem auscultando dati.

Epistolam porrò Augusto inscriptam operæ pretium fuerit excutere. in ea dignum vindice hocce occurrit primitus:

*Nanius*

*Nauius in manibus non est, & mentibus haret*
*Panè recens: adeò sanctum est vetus omne poëma.*

Credo emendandum, *Nonius*, ἀντὶ τοῦ *Nauius*: vt nobilissimus Atellanarum scriptor post Lucios illos, Afranium & Pomponium dico, nominatim intelligatur. Eum autem verisimile est, paulò supra C. Cæsaris ætatem floruisse in Scena; tantũ abest, vt sæculum illud; cuius solius spatio bonorum poëtarum existimationem terminari, questus fuerat Horatius modò; illis temporibus perficere potuerit. atq. ea ratione inter veteres, quasi Maiorum gentium Classicos illos, hoc est, inter probos & perfectos Poëtas censeri. vnde famam carminum eius apud posteros quasi sordidatã iacere, minusque hęc ipsa sæculi sui auribus probari; sed præ vetustioribus illis, Afranio puta atque Pomponio, vilia ac contemtui esse, lamentatur Satyricus noster, plus satis Satyricè. ita enim Romanam plebem animatam, vt pręsentia ac secum nata superbo despuens fastidio,

*Ad Fastos redeat, & virtutem astimet annis,*
*Mireturq́; nihil, nisi quod Libitina sacrauit.*

Proinde quid mirum, si Nonij Atellanæ in manibus vulgi non sint, neq; publicis in Scenis versentur; *flores & crocum cum Matertera Atta recto talo perambulantes*; qui pro recẽti adeò, nuperoq́. ac nouitio Poëta æstimetur ab omnibus? Quod si

receptæ lectioni propugnatores venire voluerimus, fateamur necesse est, inter se pugnantia argumentari Horatium, qui Næuium queratur in manibus non esse. quod contrà est. atq; ei opinioni cùm sequentia, tùm superiora fidem nobis facere abunde possunt. nisi si quis rescribi oportere contenderit:

*Næuius in manibus nunc est, &c.*

inducta negationis particula. Næuius enim Latinorum, quãtum fuit, post vnum Liuium Andronicum antiquissimus. At priori cõiecturæ nostræ cõsentit Veteris Interpretis expositio; qui ad nomen istud, puta *Næuius, Iunior Poeta*, palam commentatus est nobis. Vnde manifestò dilucet, Nonij titulum hoc loco falsò ac præposterè, sub Nęuij persona hactenus fefellisse. eâdẽq; illorũ pariter errorem in procliui fuerit confutare, qui nomen istud notissimi Atellanarum poetæ nusquã non mendosum obiecerunt nobis; *Nouium* passim, pro *Nonio* promiscuè substituentes. quum hoc tamen verbum priore syllaba productũ, contrà primum illud correptum legi debere, ipsa numerorum ratio eosdem commonefacere potuisset. Proinde ita apud Noniũ quoq; Marcellum, primarium Poetæ cognominis sui laudatorem, cæterosque porrò Grammaticos, me vindice atq; assertore restituatur in posterũ. Quòd verò Nonium

nium hunc nostrum, non Afranio solum Terentianis temporibus suppari, sed verò Pomponio quoque, & ipso Atellanico Poeta, ætate fecerim posteriorem, nemini nouum herculeaut mirum videri debet, qui quidem Velleij istud Paterculi, memoriæ commendatum habeat satis:

*Sanè non ignoremus, eadem ætate* (qua scilicet æqualis Sisennæ Rutilius, Claudiusq; Quadrigarius, & Valerius Antias maximè viguerunt) *fuisse Pomponium sensibus* (pro *Sententijs* positum accipio) *celebrem, verbis rudem, & nouitate inuenti à se operis commendabilem.*

Namq; operis istam nouiter à Pomponio excogitati mentionem, equidem nullus dubito, quin ad diuerbiorum nouitatem, hoc est, ad Atellanas (quæ quidem Fabulæ maximã in Exodijs; Tragœdiarum tristitiæ, oblectãdi per ludum & ioculum spectatoris causa, interponi solitis; iucunditatẽ habere putantur) trahi ac referri debeat. eiusdem mox obitu miserè ac turpiter aliquãdiu interruptas, desitasq́. ad tempus, & quasi pro derelicto habitas, non quidem Exodiariorum, .i. personatorum Histrionum, sed verò Poëtarum, festiuissimum hocce Atellanici Poëmatis genus tractantium inopia maximè. donec Pomponio condignus aliquando successor obtigit Nonius iste Horatianus; quamuis iusto temporum interuallo

ab

ab eiusdem ætate diuisus discretusque. Vnde & nouitas ipsius à Populo, solius vetustatis fautore ac admiratore, minus secundo vel æquabili plausu excepta; si quid Poëtæ (Lucano, an Appulo?) credimus. Testem ei rei, & quidem Consularem, facio Macrobium, qui eum pse Noniũ diu iacentem artem Atellanarum de-integro resuscitasse, præstare paratus sit nobis. Neque verò indignabitur spero Afranius, quòd nouum istud Exodiorum genus ex fide Velleiana principi Pomponio acceptum referre ausus fuerim scilicet. Quid enim? Quæstorij ordinis Historico secundas agere hac vtiq. in parte; tutius demum visum consilium mihi. tametsi non ignorem, Afranium quoq. laureolam sibi ex hoc ipso mustaceo quæsiuisse, sed clementer tamen, & quasi tralatitio conatu potius, quàm prospero Persicæ propitiantis effectu; atq. ita, vt Togatarum eum verius (quas Tabernarias dictitabat Latinitas vetus) quàm Atellanarum nouitate posteritatis auribus commendabilem facere se voluisse persuasum sit mihi. In quã sanè partem præ cæteris Togatariis omnibus, nec ipso quidem excepto Ennio, palmam idem meritò possidere iudicatus, de communi priscorum sententia. idque illi ad solidam oppidò & veram gloriam sufficere debere putãdum. Scitum enim est Maronis illud:

*Non*

*Non omnia possumus omnes.*

Aut ego hallucita sum prorsus, aut comma, quod in medio est, inducendum illo versu:

*Maiores audire, minori dicere, per quæ, &c.*

post, *Audire*, scilicet. vt *Dicere minori*, pro *dicentes*, hoc est, præmonstrantes, dantesque quasi pręcepta porrò iunioribus, positum accipiamus.

Subnectamus & alterius loci ex eadem Epistola explanationē, à nemine hactenus, quod sciam, percepti satis, nedū sincerè interpretati, vbi scribitur à Satyrico nostro:

*Ille per extentum funem mihi posse videtur*
*Ire Poeta, meum qui pectus inaniter angit,*
*Irritat, mulcet, falsis terroribus implet,*
*Vt magus : & modò me Thebis, modò ponit Athenis.*

Funambulus enim, interim dum in transenna

*Suspensus, similisq; per omnia casabundo,*

nutare, vacillare, & quasi ruinam desuper in subiectam circumstātium turbam minitari videtur, varios, multiplicesque, atque inter se pugnantes istiusmodi affectus spectatorum animis concinnare atque insinuare consueuit. quos cassa formidine districtos idētidem, ac falsis terroribus completos; prorsus, omnibus modis anxios, mireque, imò miserè solicitos atque exercitos habet. nimirum seriò metuentes, ne *viator* iste *aërius*, inter

terram

terram ac cælum medius:

*Corpore dum instabili gressum per inane gubernat,*
*Dispennens æquis brachia ponderibus;*
*More tuo Phaëthon, pessum præcepsq́; volutus*
*Per caput atq; pedes irrediuiuus eat.*

nec tantùm brachia, aut crura modò, sed verò & ceruices defringat sibi. Quibus idem tamen contrà subinde securitatem sui præstat deniq;, secum ac cum animo suo reputantibus, solicitudinē pauoremque hunc suum de nihilo, imò verò nauci nō esse, pro eius tenebrionis salute, qui istiusmodi ludo iam inde à puero lusitare consuetus, nihilo maiore periculo per extentum funem, libratis dexterrimè vestigiis, *cursus dirigat arte suos*, quāsi in solido pedem ponere spectaretur.

## CAPVT VI.

POETAE *nostro, in verbo* Refulget, *de nouo interpretamēto gratia facta. Trogi Pompeij cum Horatiano exemplo cōlatio.* Stygij fluctus. *Seria seueræq́; in eosdem habitæ quæstiones. Cruentæ, per præposteram pietatis ac religionis speciem, Carthaginiensium sacrificatio.* Impuberis ętatis respectu *maximè immanissimorum etiā hostium animos ferociamq́; ac barbariem emolliri, & quasi ad mansuetudinem traduci.* Pacem

peti

*peti & à Dijs posse, veterum exemplis repræsentatum largiter.*

HACTENVS ordo, & Poetæ ipsius œconomia seruata:

*Nunc verò; ne non redeat labor actus in orbem;* curriculo iterato, ab ipsis vsque carceribus vorsoriam denuò ad calcẽ capiemus; analecta, & quicquid anteà præteritum nobis, obiter & quasi in transcursu collecturi.

*Quo in lustro, vide, an adcenseri posit & illud,*
*Vestigatum oculo prætereunte mihi:*

è libri Carm. II. Oda XVII. vni & vnico illi Mæcenati inscripta:

*Vtrumque nostrum incredibili modo*
*Consentit astrum: te Iouis impio*
*Tutela Saturno refulgens*
*Eripuit, volucrisq; fati*
*Tardauit alas, &c.*

Quid enim? *Refulgens*, hoc loco notione haud perinde trita positũ, interpretari bona hercle lubido est mihi; pro *opposita, atque exaduorsum fulgẽte*; hoc est, fulgore, siue adeò aspectu suo *obscurante contrà, & velut obnunciante* Saturni minacijs, ac paterni sideris malignitati. Et verò campse articulo huic vim subesse interdum, animaduersum nobis Commentariolo anni superioris, in

verbo

verbo *Resonat*, exempli gratia:

*Suâue locus voci resonat conclusus, &c.*

quod pro Contrà adsonat, obiecta Echûs repercussione iocosa, ibidem quoq. id temporis consimiliter vsurpatum docuimus.

O D A verò tertia libri III. multa quidẽ haud segniter, aut somniculosè, post tot Commentatorum symbolas, edolata atque exterebrata nobis; illud tamen per incogitantiam (vt fit) commonefacere obliti:

*Troiæ renascens alite lugubri*
*Fortuna, tristi clade iterabitur.*

eôdem trahi posse scilicet Pompeianæ illius sententiæ acumen, quæ sub libri XXXIII. finẽ apud Iustinum legitur, eiusdem verbi metaphora in eiusdem gentis prædicatione opportunissimè vtentem.

*Iuuabat Ilienses nepotes suos*, (C. Romanos) *Occidente & Africa domita, Asiam, vt auitum regnum vindicare, optabilẽ Troiæ fuisse ruinam dicentes sibi, vt tam feliciter renascerentur.*

Illud autem libri sequentis Oda octaua inobseruatum nobis abire non debet:

*Ereptum Stygijs fluctibus Æacum.*

Etenim an Styga istam, Styga dico? *Imò adeò Infernis è fluuijs aliquem*, fluctibus attolli credam,

Digitized by Google

dam, nescio. hoc probè scio, languorem iisdem, ignauiamque, ac torpedinem

*A reliquis passim Scriptoribus assignari.*

Ouid. *Styx nebulas exhalat iners.*

Item Tibullus lib. IV. Elegia III.

*Me vocet in vastos amnes, nigramq; paludem*
*Diues in ignaua luridus Orcus aqua.*
*Omnes deniq. qui leguntur, omnes,*
*Maiorum quasi gentium Poetæ,*
*Prisci dico. sed & recentiores.*
*In queîs, Thori, animo tuo meoq;*
*Iusto & iudice, nec recentiorum,*
*Nec cuiquam veterum cluit secundus,*
*Vnico magis vnicus Secundus.*

in cuius Ecloga illa, non minus vnica atque singularia, quàm ipsus auctor, ex vidua Orphei lamentantis persona, ac plusquam Lessum faciuntis Eurydicæ suæ lugubriter pronunciatum legimus:

*Et haud multũ (memini) distamus ab vmbris*
*Mœsta per ignauam quas voluit cymba paludẽ,*
*Squalida peioris nantes confinia ripæ.*

Cur exempla foris, cur verò aliunde petamus? annè illud Horatij ipsius obliti scilicet?

*Visendus ater flumine languido*
*Cocytus errans, &c.*

Quo Epitheto (*Languido*, inquam) peream, si

K quod

quod aliud Lacui isti Acherusio excogitari potuit aptius, vel accommodatius: ob turbidi spissatiq;, atque ( vti Satyricus Aquinas autumat ) cœnosi gurgitis tenacitatem, imò plusquam pulmoneam aluei illius Auernalis lentitudinem maximè. ita quasi visco, resináue, vel pice quadam potius

*Succreta Infernis torpent vada lurida ripis.*

vt paludibus, aut lamis, quàm fluuijs propiora videri possint. Et historicè magis, quā Poëticè Propertius, qui eadem *Lethaa* ista haud flumina, sed *Stagna* appellitauerit. quippe quæ nec ventorū vnquam (quibus, illis in locis, locus non est) vesanientium procellis inquietantur: neq. *Venilia, aut Salacia obnoxia*, stata alternantis æstus reciprocatione nunc huc, nunc illuc ( rursus, an prorsus? ) impelluntur. haud magis vtique, quàm Lacus ille Syrius,

*( Non Lacus, ) vt fama est ( sed verò infame*
*Bidental. )*

æternæ item sterilitati dānatus (vnde ex re quoque *Mortui Maris* appellationem indeptus ) nec minus suopte ingenio stabilis atque inconcussus oppidò, resistēte vsq. turbinibus bitumine, quod ( vti apud Trogum est) aquam omnem stagnantem concinnat. Sed in hoc Acherūtis, & Asphaltites Lacus dissimiles, quòd iste omnis (vt ferūt) nauigationis impatiens; ille contrà

*Ferre*

*Ferre solens transmissa vna, tot millia cymba.*

*Cymba*, haud corbita dico: atque ea quidem *cariosa, ferruginea*, & (si Maroni credimus) *rimarum plena, ac sutili*; imò verò futili. quæ qua ratione aut decumanæ illi vndantium aquarum impotentiæ, aut calamitosæ tempestatis minacijs, collisisque inter se turbinum supernè incumbentium procellis par esse obsistendo possit, ij viderint porrò,

*Qui montes nobis vasto cum murmure aquarũ*
*Ausi Acherontæis tollere vorticibus.*

Quod vt dubitanter pronunciem tamen, & suspensa (quod aiunt) manu; eiusdem Maronis auctoritas me subigit. Et verò principis Poëtarum fidem forcillare, non est meum:

*Qui, præter raucos Acherusî fluminis æstus*, insuper *arenarum* etiam *Cocyti eiectamenta* agnoscit, lib. AEneid. VI. occinens nobis:

*Turbidus hîc cœno, vastaq; voragine gurges*
*Æstuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.*

Vnde & nos haud nimium inscitè olim, (vti arbitror) pro captu eius, quam tum agitabamus, ætatulæ, tãti auctoris fiducia maximè, Poeticam huiuscemodi argutiolam extricare ausi fuimus in puerili quadam ad argutissimum Altarium Elegia:

*Gratior aduentam lucis habitator opacis,*

*Nec metuam Lethes assilientis aquas.*

Adiuuat vtriusque nostrûm sententiam Paludi illi *fragorem horrisonum*, *ne perterricrepum* dicam, ac plusquam *Fluuiale murmur* attribuens Naso, quo loco canit:

*Quiq; per Infernas horrendo murmure valles*
*Imperiurata labitur amnis aqua.*

Plura adstruere possim, nisi hæc ipsa plus satis superque oppidò esse arbitrarer, ad lectori meo persuadendum, nec Poëticæ historiæ fidem, nec sacrosanctas illas Latinæ proprietatis leges, in Stygiorum fluctuum commemoratione, ab Horatio nostro per incogitantiam migratas videri.

Transeamus ad illud Odes v. ex Epod.

*Impube corpus, quale posset impia*
*Mollire Thracum pectora.*

Quorum versiculorum sententiam Trogi Pompeij animo obuersatam, quid prohibet suspicari? apud Iustinum abbreuiatorem suum, de cruenta illa Sacrorum relligione, ac nefaria puerorum pro salute publica immolatione apud Carthaginienses vsurpata antiquitus, secum cumque Lectore suo stomachantis haud iniuriâ, hac historicæ indignationis serietate lib. XIIX. sub finem:

Quippe

*Quippe homines, vt victimas, immolabant; & impuberes (quæ ætas etiam hostium misericordiam prouocat) aris admouebant, Pacem Deorum sanguine eorum exposcẽtes, pro quorum vita Dij rogari maximè solent.*

Vbi notandum (vt & hoc quoque in transitu admoneam) antiquè. i. propriè, atque ex Romanæ Votorum sollenniũ disciplinæ formula eloquutum Pompeium. Plautus Amphitruone:

*Iube vasa pura actutum adornari mihi,*
*Vt Iouis supremi multis hostijs pacem expetam.*

*Pax* enim, & *venia*, eadem prorsus in Deorum suppliciis. Vnde vtraq; coniuncta ferè apud Ciceronem lectitantur. vt pro M. Fonteio:

*Illæ nationes in bellis gerendis ab Dîs Immortalibus pacem ac veniam petunt.*

Item alibi haud semel. *Exposcere* ergo *Deorum pacem*; siue, vt cum Arnobio, *Exambire*; cum Plauto meo; *Exorare* dicam, atque *Exobsecrare*; nihil aliud fuerit, quàm volentes propitios, pacatosque ac tranquillos Deos concinnare:

*Votisq; ac precibus, nec parca cæde bidentûm*
*A superis veniam conciliare sibi.*

Atque hæc interior dicti istius significatio, in quã plura testimonia qui volet, Marcellum consulat suadeo, in eiusdem rei, hoc est, *Pacis à Dîs petendæ* explanatione.



Digitized by Google

## CAPVT VII.

BONVS, *pro Domi nobili ac generoso*. Gelu acutum, *quo sensu accipiendum*. *Eius uredinis contages* Marcore inducto membra putrefaciens, Viq́ue sua penetrans non sine pernicie. *Interrogationis nota Horatio redonata*. Lapides varij. *Eam in rem à Seneca Tragico producta auctoritas*. *Aduerbij τ̃ Vt, iteratio, ad migrationem Cæsuræ euitandam scilicet*. *Eius obseruatio bono Poëtæ cum primis necessaria*. *Albij Tibulli in Poëtando extemporalitas, celeresq́ue inuenantis ingenij motus, ad Cassij Parmensis exempli similitudinem*. *Ea res Elegiographo illi non vitio tributa, sed laudi*. *Mendarum, siue Erratorum*, Quêis humana parum cauit natura; *queq́ue in superiore illo ad Horatium Commentariolo inter excudendum temerè, siue adeò fortuitò obrepserant, recensio; addita singulorum restitutione*.

AD Horatium denique postliminio conuortamur, hæc de semet porrò Satyra 1. alterius Sermonum libri, coram Trebatio I. C.to familiari suo profitentem publicitus:

*Me pedibus delectat claudere verba*
*Lucilli ritu nostrûm melioris vtroque.*

Ad quæ Commentator Cruquianus:

*Hoc*

*Hoc est, qui melior fuit & te & me, ô Trebati, censu & natalibus. Fuit enim vir bonus, & valde nobilis, vtpote Magni Pompeij auus.*

Insanè bene, atque adeò ex ipsissima Satyrici Poëtæ sententia, qui *Melioris*, ἀντὶ τοῦ Generosioris, seu nobilioris posuisse videtur. Quomodò & Martialis noster:

*Nam puto nec melior, Nauole nec prior es.*

Neque nos in quotidiano vernaculi sermonis vsu aliter hoc verbum vsurpare consuemus, dicendo:

Ick ben so goet/ als ghy. Valeant proinde cum glossematum suorum senio, qui *Bonitatem istam Lucillianam*, ad æquitatem, constantiam, beneque ac puriter actæ vitæ probitatem accommodandam autumant. quando non aliô (vti dictum est modò) quàm ad veterem aui illius Pompeiani prosapiam, confertasque gentiliciarum Imaginum struices, ad fumosos honorum gestorum Titulos, singulis ceris subscriptos, trahi debeat. Quarum rerum Trebatium non minus, quàm sese Libertini generis hominem, inopiam pati manifestò designat: in transitu & veluti aliud agens, Consultori illi suo, scientia Legum magis, quàm Natalium claritate spectabili, adsperso Satyricæ amaritudinis sale, nouitatem atque obscuritatem generis haud obscurè adeò,

neque dissimulanter obiectans. Sic in eodem Testa angustiam rei familiaris ab ipso Tullio in Epistolis sugillatam nimium familiariter, notauimus iam olim.

Legitur protenus Satyra ab hacce tertia, festiuissima, ex Stoici Damasippi persona, cum Poëta nostro disceptatio, hac ipsa similitudine in non vnius stultitiæ genere definiendo vtentis:

*Non est cardiacus (Craterum dixisse putato)*
*Hic æger: rectè est igitur, surgetq́ue? negabit:*
*Quod latus, aut renes morbo tententur acuto.*

Quam postremam dictionem Commentator, pro *Penetrabili, perniciosoq́ue ac graui*, enucleat nobis. eâdem (opinor) ratione, qua alibi, *Gelu acutum*, i. penetrabile Venusino huic nostro cognominatum acceperat. quòd vi scilicet, atque horroris sui acrimonia quasi penetrare videatur, quemq́ue attigerit semel. Neq; inconsultè Lambinus, qui ad eumpse locum illum, hos qui niuem tractant, & qui à frigore offenduntur ac læduntur, simili quodam modo affici existimat, atque eos quos ferri acies pupugerit. Atque id ipsum plus satis superq́ue quotidiano ab vsu, in hac hyemantis patriæ asperitate, seu inclementia potius, de nobis ipsis edocti, sensibusq́ue nostris, ac rei ipsius experimentis gnarum exploratumq́ue habemus. illud verò ex auditis atque ex no-

stratium

ſtratium mercatorum relatu modò, eorum dico, qui quæſti ſui gratia maritimis negotiis affines,

*Calloſis Scythicas pedibus calcare pruinas,*
*Sarmaticasq́; niues, Lituanorumq́; paludes,*

Arctoa glacie concretas cruſtataſque, trahis penetrare ac percurſitare ſoliti. Hi enim pro certo, imò comperto; nec auriti, ſed oculati teſtes prædicant; eam eſſe in locis ac regionibus illis Septentrionalibus hyberni ſideris violentiam, atq; intemperiem; geluque intenſum adeò, ne dicam intractabile;

*Vt cuicunque acie perſtrictum frigoris, ictu*
*Vel tralatitio membrum aliquod fuerit;*
*(Ora puta, auriculæue, & ſi quid promineat fors,*
*Brachia, crura, pedúmve aut manuũ digiti:)*
*Ei verò pars illa geli contage peruſta;*
*Corruptaq́;, imò morticinæ ſimilis,*
*(De cælo ceu tacta, afflataq́; ſulphure ſacro)*
*In putrorem omnis vertat, & in cariem.*
*Senſim obbruteſcens: vel eò facta arida donec,*
*Caſabunda locum deſerere occipiat.*
*Vaſtitieſq́;, ac diſſidium, & diſtractio tandem*
*Affectæ domino particulæ eueniat.*
*Quæ reliquo ſeſe fugitiuam à corpore ſpernit,*
*Suppoſitus, labem marcida dans, manibus:*

scrobiculiq; ac lacunæ impressa stigmatię suo vestigia, notamq́. veluti insignitam relinquit in posterum; brumalis sæuitiæ monumẽtum. Ita haud secus, quàm si cutis cauterio inusta; aut succiduæ illa carunculæ portio scalpello, atq; adeò artificis manus industriâ cautè & cogitatè exemta atq. exsecta fuisset, subluridarum porrò passim cicatricum reliquiæ in facie, vel alia quacunque tandem corporis parte, laxitasq́ue, ac exesorum quasi sinuum vacuæ quædam areolæ compârent.

De ijs autem, quæ sequuntur, interrogationis notulam in medio desideramus, ad hoc, quod inante posituri sumus, exemplum:

*Non est periurus, neque sordidus: immolet aequis*
*Hic porcũ Laribus? verũ ambitiosus, & audax:*
*Nauiget Anticyram, &c.*

Eadem nempe cõpositionis forma, qua illa, quæ antecesserat modò, suo à nobis loco vtiq. repræsentata tibi. id quod Dionysium sanè illum, cum reliqua Scholiastarum nostrorum decuria,

*Peruidisse oculis lippum demiror inunctis.*

In Satyra huicce proxima communis lectio sedulò nobis defensitata iam antea, aduersus Glareani, imò Erasmi ipsius præiudicatas opiniones, versu illo:

*Tén' lapides varios lutulenta radere palma?*

Ad

Ad cuius ſcripturæ fulcimentum, præter exempla in medium producta id temporis, illud pro mantiſſa quoque accumulare poſſis inſuper, ex vnius vniciſque (reliquum quem habemus modò) Cordubenſis Tragici auctoritate:

*An ferax varij lapidis Caryſtos?*

Satyra verò libri eiuſdem ſeptima ita legitur.

*Duceris, vt neruis alienis mobile lignum.*

Neque aliter Turnebus, Muretus, Lambinus, Cruquius denique. Ego tamen, *Signum*, malim potius: quaſi tu *Simulacrum*, ſiue *Icunculam* interpretere. Quod *Sigillariorum* genus νευρόσπαστα indigitabant antiqui, Platoni δαιδάλου ἀγάλματα dicta. αὐτόματα neſcio quæ *Oſcilla* ſcilicet, Mimica prorſus ac geſticularia, quæ certis fidiculis agili manu adductis impulſiſque, ac neruorum intus fallentium motu atque agitatione, pro Chironomontis, qui eoſdem illos tractat arbitrio ac moderamine, non ſine venuſtate quadam nunc in hâc, nunc in illam partem mobilia verſatiliaque cluebant, vſque ad miraculum, vel ſtuporem potius inſpectantium, muliercularum credularum plus ſatis, ac puerorum infantium maximè, qui (vti feſtiuè Lucillius autumat)

*Credunt ſigna omnia ahena*
*Viuere, & eſſe homines, &c.*

Signum,

*Signum*, proinde (vt dixi) Horatiano huic loco restituendum, vel Ouidio subscriptore, quum scribit:

*Truncus iners iacui, species, & inutile signum.*

Quam lectionem qui peruolgatæ isti antistare non videt, quid verò homini illi vlla lectione est opus? Ad Eclogæ porrò nouissimæ vestibulum gradum aliquando capessamus; in quo Cruquianæ scriptionis auspicium, præ Lambini atque aliorum commentis, non possum non vtraque manu amplecti, atque asserere, hacce numerorum dimensione conceptæ:

*Vt te Nasidieni iuuit cœna beati?*

excepto, quòd in Nasidieni appellatione semipes iste postremus vltra priorem illam, quæ Cæsuram concinnat, πενθημιμερῆν, vnius syllabæ tractu excurrens, tantum non cerebrum asperitate sua excutiat mihi. Quid credam? an Horatium fortasse Aduerbij istius (*vt*, inquio) iterata repetitione erotematis sui insuauitatem ac duritiem emollîsse, hoc modo?

*Vt te Nasidieni, vt iuuit cœna beati?*

Quæ iteratio, præter auctam sententiæ energiam, quantum Sectioni isti Hexametræ venustatis adiiciat insuper, eos haud difficulter sagituros confido;

Quot-

*Quotquot Horatî Artem, ac numerorum pondera callent*
*Legitimumq́; sonum digitis expendere, & aure.*

Neque verò Despauterius audiendus, nō aliam, quàm ipsius huiusce Horatiani Hexametri auctoritatem, pro exemplo carminis omni incisione expertis, inante positam obiectare haud veritus nobis. Et cautius mehercules, circūspectiusq́ue Priscianus ille, qui in omni fere versuum genere Cæsuræ obseruationem necessariam esse, Musarum candidatis inculcat. Quam qui insitæ rusticitatis vitio aut incuriosè neglectam, aut prę fastidio contemtam habet, is verò qua ratione in legitimis numerorum Censoribus, exactoribúsue nomen porrò suum profiteri possit, nō video: non magis sanè, quàm si quis incompositis totius corporis motibus *terripauium*, id est, *tripudium facere*; neque vlla *staticulorum* mensura obseruata, psallendi saltandiq́ue scientiam ac disciplinam aliis præscribere porrò, ac præmonstrare postulet sese. Quod enim in Poëtica dimetiendorum versuum ratione Incisio seu Percussio; Moduli in Musica; id ipsum in choreis ac tripudiādi arte Staticuli, hoc est, saltatorij gestus, ad quos Salisubsuli nostri, tanquam ad Cæsuras, vel statos nescio quos concentus Musicos, artifici pede

*Tellurem*

*Tellurem in numerum, perq́ interualla ferire*:
neque vel tantillum ab organici modi præcentione discedere, cautũ ac sollenne habent etiamnum hodie.

Epistola IV. libri primoris Albio Tibullo, censu non minus, ac Natalibus; quàm Poëticæ artis gloria inclyto atque insigni, inscripta legitur. quem qui ab Elegiographo illo, qui hodie in manibus nobis, diuersum faciunt; eos & secum prorsus, & cum Fastorum rationibus pugnare, noua nuperaque Præcidaneorum nostrorum (Albiani honoris gratia) expressa à Plantino publicitus Editione, fidem Lectori abundè nos fecisse arbitramur. Nunc igitur satis superq́; habituri, si Poëtam illum

*Magistro Amore, hoc est, Erotico æstatis*
*Feruentis æstu, an comitate Naturæ?*
*(Venæ vberis quam Profluentiam, nostri*
*Perhibent, nouella ex Lege, Litteratores)*
*Operam Celocem, haud Corbitam locauisse*
*Nemesi, Neæræ, Deliæq́ dicamus.*
*Magisq sponte, & impetu ingenî quodam*
*Exuberantis, quàm laboris insani*
*Contentione, noctibusq́ per iugem*
*Insomniam actis, lima & arte morosa,*
*Animum ad Poëtandum appulisse monstremus.*

id

id quod haud reapse modò, hoc est, ex ipsissimis illis Tibulli Elegiis etiamnum superstitibus

( *Scriptis non nimium laboriosè,*

neque tam anxia euigilatæ compositionis structura, aut operosæ expolitionis artificio atque industria edolatis, quàm rara quadam Genij atq; ingenij felicitate,

*Morosa sine cogitatione*, Poeticoque furore ac velut enthusiasmo effusis ) verùm hercule ex hoc ipso quoque Horatij testimonio ( qui Censorem istum suum, Poëtam tantùm non extemporalem facere videtur ) meridiana luce clarius illustriusque compâret. quippe cuius scripta Casśij illius Parmēsis opusculis componere, imò anteferre non dubitauerit. si tamen Parmensis iste, idem cum altero Cassio illo, Hetrusco dico; cuius subitæ, ne dicam tumultuariæ scriptioni lutulentam illam ( vt ipsi quidem placet) nimisque incomposito pede fluitantem Lucillianam Poësim in Sermonibus suis contenderat iam antea, Satyrica huiuscemodi irrisione:

*At si quis pedibus quid claudere senis,*
*Hoc tantum contentus: amet scripsisse ducentos*
*Ante cibum versus, totidem cœnatus, Etrusci*
*Quale fuit Cassî rapido feruentius amni*
*Ingenium,*

*Ingenium, capsis quem fama est esse, librisq;*
*Ambustum proprijs, &c.*

Vtut est, ijs certè assentari, aut secundas agere non placet, qui verba hæcce Horatiana:

*Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula*
*vincat:*

Ironicôs in Tibullum detorta, sibi potius, quàm nobis approbauere; persuasi scilicet, à Satyrico immodicā istam in Poësi Albiana, ac superfluentem venæ luxuriem tacitè atque ex obliquo notari; quum eumpse tamen ( Sodalem, an Collegam dicam, nescio ) ob promtam & expeditam communis Musici studij facilitatem, celeresq́ue torrentis ingenij motus, palam atque ex directo laudare videatur. Nam tametsi haud ignorem, quantoperè præcipitantiam istam, ac concitatum scribendi genus inuisum Flaccus noster, atque odiosum habuerit sibi; non idcircò tamen vsque eò maledicentię prouectum, tamq́ue effusas nigræ loliginis succo habenas laxasse crediderim, vt quem, *Candidum Sermonum suorum iudicem*, clarè nobis deprædicauerit modò; eundem immutata de subito voluntate, encomijsq́ue in opprobriū versis, mox Cynico felle oblitum, collutulet porrò atque dehonestet: *aquam frigidam suffundens subdole*, & (quod non minus vtique Plautissat)

*Lapidem*

Digitized by Google

*Lapidem altera ferens manu, panem oſtentet altera.*

Quo malignitatis, imò perfidiæ vitio, nihil animo liberali indignius, nihil hominis amici officio alienius minúſue conſentaneum. & vindicandus ab huiuſmodi calumniæ nota, me vindice atque aſſertore, Horatius in poſterum.

Quod ſupereſt, initio Artis Poëticæ, vbi ſcribitur: *Et varias inducere plumas,*
*Vndique collatis membris, &c.*
poſt τὸ *Plumas*, inducendum videtur comma: vt, *Plumæ membris vndique collatis*, ſuperinducantur ſcilicet. Quæ quidem (*Membra* inquio) non auferendi, verùm herculè dandi caſu poſita accipere capior, cõtra mentem Interpretũ quantum eſt Horatianorum.

Vnum video etiamnum reſtare curriculum mihi, quo de mendis nonnullis atque erratis ſcilicet, in priore illa Commentarioli noſtri Editione per operarum, (vt fit) an exſcriptorum? incuriam, ſiue incogitantiam humanitus admiſſis, ſub miſcellæ huius Appendicis finem obiter Lectorem commoneam meum; de *Exordio* præſertim, item *Cordato*: quorum alterum pagina 65. linea 25. pro *Exodio*, alterum verò pag. 71. verſu 15. pro *Cordalo* Plautino illo



Digitized by Google

illo Hegionis liberto ſubditicium nobis pol immeritiſſimis obiectum. Nam cætera putidum ſit iterare, *τὸ Perrecta, ἀντὶ τῦ Peruecta*, in ipſa operis Præfatione ſuppoſitum. Item verbum *Inducit*, linea 8. paginæ 31. non capite ſed cauda, hoc eſt, poſtrema ſui parte, nempe T. littera perperam diminutum. *Offundere* denique Infinitiuum induci oportere, quod in locum præteriti pluralis *Offudêre* inquam, verſui 14. pagellæ antepenultimæ obhæſiſſe, doleoque ac maceror. Adde ſupradictis pagina 63. linea 16. *Intelligantur*, exturbandum foras; eiusque vicem *Intelligamus* ſubſtituendum protinus. & alia monetæ tritioris: quæ, quia conſuetudine leuia videntur, pro nihilo habenda: neque eorum cauſa mortalium cuiquam, qui ſenſu quidem vtatur communi, aures peruellendæ. quippe quæ per ſe quiſque abſque manuductoris opera, aut ſubſidio vllo perſequi veſtigiis porrò,

*Ac deprenſa facul ſollerti indagine Lector*
*Ipſe ſuis poſſit eruere è latebris.*

è quo numero fuerint & iſta: *Doceri*, pro *Docere* pag. 8. lin. 8. in verſu Horatiano; *Varrone* contrà pag. 60. verſu 10. pro *Varroni* publicatum. poſtremò *Illo*, pro *Illi* pag. 70. linea 8. *Aceruam*

item

item pag. 78. versu 21. in exemplo Martialis, vbi *Acerram* imprimendum fuerat. Hæc volebam nescius ne esses. Aue, mi Lector, nec fauentiam nega, *Quisquis eris, cuiatis eris*: vt quidem Enniana clausula hocce tandem opusculum explicemus.

FINIS.

A01145207

ANTVERPIÆ EXCVDEBAT CHRISTOPHORVS PLANTINVS, ANNO CIↃ. IↃ. LXXXII. XVI. KAL MART.

Digitized by Google